

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

EPITHALAMIA,

49.

20

PRO FAVSTA AP=
PRECATIONE, NVNCVPATA OPTI=
MO ET DOCTISSIMO VIRO DN. M. AN=
DREÆ KENNIKEN, illustris Gymnasij Seruestani
hypodidascaleso fidelissimo, celebranti nuptias cum ho=
nesta & pudica virgine MARTHA, Venerandi
pietate & doctrina viri, DN. STEPHANI
HEERVVIGS, Pastoris Stucensis
filia,

III. Calend. Xbris, Anno M. D. XVC.



SERVESTÆ

Excudebat Bonaventura Faber.

ANNO M. D. LXXXV.

Προσευχὴ τῶν νεογάμων.

*Suscipe amicorum pia vota precesq; rogamus,
Christe, nec Æolijs trade ferenda Notis.
Quos antè unanimis calor in tua iussa vocavit,
Hos iungat verbum nunc quoq; Christe, tuum.
Coniugij usura fac læti in pace fruamur,
Nullaq; lis soluat vincula sancta tori.
Lex tua sit nobis totius regula vitæ,
Pectore te vero semper uterq; colat.*

A. K. S.

DE LAVDIBVS MATRIMO-
NII CARMEN ENCOMIASTICVM GREGORII
BERSMANI, illustris Gymnasij Rectoris, ad
M. ANDREAM KENNIKEN
Sponsum.

HONORE, quo senes fuit
Spartanus olim legifer
Dignatus, illo cœlibes
Priuauit in republica;
Flagrisq; cædendos dedit,
Altare circum, feminis;
Forumq; brumæ frigore
Obire nudos compulit:
Omnes subire cogeret
Ut iura matrimonij,
Et ciuitatem semine
Supplere iugi ciuium.
At te, nec expertem tori
Vitam manens opprobrium,
Nec Spartiatis verbera
Olim parata, nec gelus
Adegit, ANDREA, sacra
Inire tædæ fœdera,
Manuq; MARTHVLE data
Eidem pacisci coniugis.

A 2 Sed

Sed, protoplastum comparis
Qui degere exsortem sua
Haud autumavit commodum,
Hanc indidit mentem tibi.

Ut sanguine cui florido
Firmoq₃ pollens robore,
Et antè, quàm te prodiga
Fama voluptas occupet;

Deoq₃ votam, & artium
Humaniorum cultui,
Vitam inquinet turpissimis
Libidinum contagijs;

Intres pudica lectuli
Connubialis limina,
Amoris atq₃ innoxij
Honestas carpas gaudia.

Hic cultus est placens Deo,
Deiq₃ legi congruens,
Dignusq₃ diuini sacra
Professione dogmatis.

Hæc seruat orbem copula,
Hæc gignit aris præfules,
Hæc curia patres creat,
Armatq₃ leges iudice.

Hoc destituta munere
Non terra regnis praesides,
Non urbibus ciues dare,
Agrisque possit incolas.
Quid, quod perennis unicus
Satoris ille filius,
Hoc nactus est matrem satum
A stirpe Adami virginem?
Quid plura? lecto concidet
Rerum creatrix caelibe,
Quae feta per connubij
Propagat suum semina.
Quodcumque pennis aera,
Quodcumque pinnis aequora
Genus pererrat, et vagis
Quodcumque campis pascitur;
Quod lustra syluis educant,
Quod nupta tellus aetheri,
Suum ruentis in sinum
Summittit auctu coniugis;
Suo creatum semine
In solis exit lumina,
Amoris et commercium,
Usurque prodit comparis.

Omira matrimonij
Vis quod diuim insolubili
Unum facit ligamine,
Unumq; rursus duplicat.

Hoc duplicatos Cecropis
Artus bimembris instruit,
Alterius hoc & ut manus,
Et pes sit alter, efficit.

Hoc distributum sarcinae
Onus duobus alleuat;
Partita binis prospera
Hoc sortis auget munera.

Res est domi; concordia
Rem gratiorem hoc fecerit:
Est parua; maiorem pari
Hoc reddet adiuuamine.

Hoc impotentem subdoli
Arcum relaxat praepetis,
Ferrum retundit, & faces
Restinguit implacabiles.

Et quis iugalis consequi
Narrando sacri commoda,
Quis versuum praconio
Aequare possit munera?

Amica

*Amica, quæ, sodalium
Gens gratulamur, intimo
Tuis tuæq; nuptijs
Sponsa fauente pectore.
His apprecantes omnium,
Quæ poscit usus copiam,
Et auctiorem, quam sibi
Vitæ expetat beatitas.*

EPITHALAMION.

*Coniugio quicumq; faues, dic capta secundæ.
Talia, legitimi sanxit qui fœdera lecti:
Omnia sic sponsis cedent feliciter, ambo
Unanimesq; suæ complebunt tempora vitæ.
Vos quoq; iam socij qui pangere fœdera lecti,
Atq; subire tori socialia iura paratis,
Coniugium, moneo, sanctè ac reuerenter habete,
Hocq; genus vitæ, ceu fœdus amate, quod horto
Fecit in El sio summi moderator Olympi.
Tempore primus homo quo conditus, omnia
mundi
Vasti elementa, polum, terramq; fretumq; profun-
dum,
Et lunam*

Et lunam, & stellas, & sidus amabile, solem
Contemplatus erat, bene condita singula vidit,
In terramq; cadens, suspiria multaq; ducens,
O tibi quis tanto referet pro munere grates
Sancte DEVS, dixit, palmaſq; ad sidera mouit.
Proximus interea, quem nemo putabat adesse,
Stat DEVS aspiciens propria simulacra figura,
Et decus admirans hominis, requiescit in illo.
Nec mora, pauca refert: vir nō bene uiuit, Adame,
Qui statuit viduam sine coniuge ducere vitam,
Tradimus ergo tibi comitem, vitæq; iuuamen,
Ut tibi subueniat, varios minuaturq; labores.
Dixerat: obsequitur, verbisq; salutat amicis
Oblatam thalami sociam primæuus Adamus.

Sumere coniugium sua sic exordia cœpit,
Estq; hæc prima tori vitæq; iugalis origo.
Quid moror? ordo sacer thalamus, diuinæq; res est,
Quem satis augustus cōmendat & approbat autor,
Stans nemore in sacro ius qui sanxisse iugale
Fertur, adhuc thalami curareq; fœdus honesti.

Huic igitur toto persoluite pectore laudes
Vos, quibus est animus sacra neçtere vincula lecti,
Vos celebrate DEVM, vestra memoresq; salutis,
Poplite curuato tales ad sidera voces

Mittite:

Mittite: sancte DEVS, vesper cui paret & ortus,
Qui virtute tua facis omnia, & omnia servas,
Sis præstò, duce te felicius omnia cedunt.
Ah homines sine te quid possumus? irritus omnis
Est labor, æthereæ quem non fauor adiuvat aula:
Auxilium petere ergo tuum sapientia summa est.
O DEVS humana sincere salutis amator
Effice, (solus enim potes efficere omnia nutu)
Ut nouus hic felix thalamus sit, nullaq; turbet
Hunc ratio grauibus curis, mæstisue querelis.
O ter sancte DEVS, liciti defensor amoris,
Præcipuè thalami curæ cui fœdera casti
Sunt & erunt, DEVS, ò te supplice voce rogamus,
Auspicijs ut nostra tuis incepta secundes,
Si locus est precibus, quas pectore fundimus imo,
O venerande DEVS, nostris nunc annue votis,
Promissi memor esto tui, precibusq; pudicis
Aurem adhibe facilem, gemitus nec despice nostros,
Sic tibi perpetuas Deus optime maxime grates
Dicemus, nostro dum corpore vita manebit,
Et quia te primum, pater optime, nouimus esse
Coniugij sanctas qui cœpit condere leges,
Coniugij meritò celebraberis inclytus auctor,
Lucidus è cœlo donec ruat ignis, & orbem
Hunc subito incendens consumat, & omnia vastet.

M. Adamus Lamperus.

B

Turces

Τὸν αἰὸς ποιητὴν Simonidis, ἰ

M. CASPARO VLRICO ILLVSTRIS
GYMNASII SERVESTANI HYPODIDASCALO

Elegis descripta, in faustam celebritatis nuptialis comprecationem ornatissimo & erudito viro Dn. M. Andreae Kenniken, Sponso, &c.

Vulgus ait, genio quæuis est femina facta
Vno, culpanda hoc femina quæq; modo.

Unam si noris, reliquas quoq; noueris omnes,
Ingenium nectit nam muliebre dolos.

Multa sed à vulgo sparguntur inania, falsis
Eius & est verbis hic nec habenda fides.

Sentiat & culto mens cum Simonide nostra,
Qui vulgi nugis anteferendus erit. •

Hic, muliebre DEVM ingenium fecisse seorsim,
Prodidit, & varijs distribuisse modis.

Huius & exposuit numeris quod lingua Pelasga,
Donatum Latijs percipe sponse modis.

EST, ex setigero grege quam produxit ineptam,
Iuppiter: heu probrum hæc femina facta viro.

Huius si videas ades, videantur oportet

Hic loca foetenti quæq; scatere luto.

Cultus & ornatus desunt, quia deficit ordo

Omnia, confusa cunctaq; mole iacent.

Et voluntur humi sanctè, asseruanda marita,

Quodq; oculi querunt, hoc pedibus teritur.

Ipsa sed illoto vestitu, nescia cultum,
 Colligit abdomen, sordibus aucta suis.
 Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis, 33
 Ne Sponsa hanc referat: sit procul ista lues. 33
AST natura alij versuta & vulpis origo est,
 Ingenium cuius calliditate valet.
 Vires ingenij intendens sciet omnia, discens,
 Quaeque boni vis sit maxima, quaeque mali.
 Nec facile inuenias quaerendo sedulus artes,
 Quarum haud ingenium hoc sit muliebre capax.
 Non raro, quae magna sua versutia menti,
 Commendat ficta se bonitate viro:
 Mox redit ad mores nativos pessima quaeque
 Tentans, nec constat moribus ipsa suis.
 Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis, 33
 Ne Sponsa hanc referat: constet amore fides. 33
FEMINA & est vità non anteferenda priori,
 Mens in ea nimis heu nanque canina latet.
 Ex cane latranti quae cum sit condita, matris
 Conseruat mores, ingeniumque sua.
 Omnia quae scrutans oculorum indagine cingit,
 Qualibet exposcens iuris & esse sui.
 Huicque licet nullum videas, cui litiget, esse:
 Non tamen à rixis abstinet ista suis.

*Liuida latratu verum loca qualibet implet,
Cur latret, nescit sapius ipsa tamen.
Nequicquam huic plagas irato corde minatur
Vir, durum cupiens os cohibere minis.
Vel prius huic poterit genuinum infringere, septa
Dentum concutiens, quam sibi subijciat.
Nec res succedit blandis exercita verbis,
Bestia ut imperio pareat ista viri.
Furgia persequitur tristis, ratione pudoris
Nulla habita, mensa sint licet huic socij.
Seu conuiuia alijs sit, eos accumbere mensa
Huius seu liceat, verba molesta facit.
Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis, ''
Ne Sponsa hanc referat: lis procul esto toro. ''
EST alia, inculta terra cui limus origo,
Contigit huic celsi portio nulla poli.
Hec adducta suo, valde intolerabile damnum,
Est oneri ac probro desidiosa viro.
Inscia, qua natura boni, qua causa malorum,
Mens stupida & soli dedita tota gula.
Et quando hyberno sub sidere terra rigescit,
Acris & immiti frigore sauit hyems,
Hoc opus, hic labor huic, ut semper adhereat igni,
Auxilio superans frigora iniqua foci.*

Sed

Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis, 29

Ne Sponsa hanc referat: curet at illa domum. 29

ET maris ex undis alia est sine laude profecta,

Huic animum aduertens mira subesse scies.

Jam blando gestit risu laxare labella,

Indicia ostendit lætitiæq; suæ.

Hospes ut aspiciens hanc laudibus efferat, una

Quæ sit feminei lausq; decusq; chori.

Jam visu haud facilis, nec dictu affabilis ulli,

Tristis, succensens, horrida, torua, crepans.

Ut metuant, quicumq; vident, procul atq; recedant,

Et fugiant huius, ceu maris alta, lares.

Ut canis excubijs catulos quæ prouida seruat,

Exerit & dentes, si quis adire parat.

Omnes infestat seua, implacabilis omnes

Increpat hæc mulier, si rabiosa furit.

Nullus amicitie respectus, gratia nulla

Sanguinis, hæc eadem est hostibus atq; bonis.

Ut mare tranquillum, placidè labentibus undis,

Dum cœli spirat mitior aura, fluit,

Erigit inq; bonam lucri spem corda, carinis

Qui pelagi dubias ingrediuntur aquas:

Non mora, turbatū Æolijs regnum omne procellis

Neptuni, ventis indomitisq; furit.

B 3 Hoc

Hoc est ingenio mulier, truculentior ipso
Æquore, si bilem moueris ipse malam.
Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis,
Ne Sponsa hanc referat: mitis adesto viro.
EST mulier, superi quam confinxere creando
Ex cinere atq; asina, quæ macilentæ prius.
Hanc nisi vi cogas, nec non mala multa mineris,
Officium faciet non sine fraude suum.
Hæc sin cogatur, quæ sint præstanda mariti
Ex animo, discens, efficienda facit.
Noctes atq; dies persuadet turpia furtæ
Huic gula luxurians, clam vorat ipsa viro.
Non parcens epulis admotis ignibus, ipsum
Assuetæ est calidum nam spoliare focum.
Huius quin thalamus solum haud scit ferre maritum,
Quemuis sed furtim suscipit ille virum.
Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis,
Ne Sponsa hanc referat: sobria adesto viro.
Fecerunt aliam Dij quouis tempore tristem,
Huic è mustela prima & origo venit.
Nulla hanc cõmendat quia gratia, nulla venustas,
Quod cupias, tecum aut quod venereris, abest.
Nec non fastidit præsentem exosa maritum,
Complexu à Paphia est hæc aliena Dea.

Huic

Huic infame manus nomen peperere rapaces,
Vicinis quod non abstinere bonis.

Quae sacros pietas hominum designat ad usus,
Deorat haec labijs saepius una suis.

Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis,

Ne Sponsa hanc referat: fida sed esto viro.

AST alij exortum fecit ceruice comante
Acer equus, rutilus conspicuusq; iusbis.

Nullum hac seruitium, nullosq; edocta labores
Perfert, iniectum proijcit omne iugum.

Huic quoq; ne digito per fastum tangitur ullo,
Conuoluenda manu qua mola saepe domi.

Nec cribrum tollit, quod humi videt ipsa iacere,
Haudq; effert sordes, faeda piacula, foras.

Nec furnum accedit propius, fuligine forma
Ne miserè pereat commaculata nigra.

Non amat ista virum sincerè, cogat eandem
Ni metus imperij, quod scit habere virum.

Nec semel huic satis est spacio perfecta diurno
Lotio, quam repetit terq; quaterq; dies.

Ungitur unguentis & colligit ordine pexas,
Semper & ornatas floribus ista comas.

Hac oculos alijs pascens spectacula praebet
Dulcia, sed proprio est res onerosa viro.

Et nisi

Et, nisi vel princeps fuerit, vel regius heros,
Non delectabunt commemorata virum.
Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis,
Ne Sponsa hanc referat: curet ametq; virum.
Vppiter aſt aliam, qua maxima damna marito
Infert, conſinxit, peſtis & iſta viri.
Simia cui primos dedit ortus callida, ſtultos
Indidit & mores, ingeniumq; ſuum.
Huius in effronti vultu frons nulla videtur,
Quin malè distortus turpia quæq; refert.
Haud didicit vecors incedere more venuſto,
Huius ſed gressus ſibila dura mouent.
Eſt ceruice breui, qua nullis motibus apta,
Exiles truncum dedecorantq; nates.
Huic tristes videas artus areſcere, nulla
Huic & adesse poteſt gratia, nullus amor.
Ah miſer, horrendū qui monſtrū amplectitur illud,
Cogitur & proprio tale fouere toro.
Omnis nequitia eſt, cunctorumq; amula morum,
Simia ceu turpis, riſus amicus abeſt.
Hæc q; ſui memores nullos facit eſſe merendo,
Certat cum nullis officijsq; bonis.
Hoc animo verſans, ut quavis arte nocere
Poſſit, vel ſummum perficiatq; ſcelus.

Sed

Sed meliora pijs sponsi DEVS annue votis, ”
Ne Sponsa hanc referat: uiuat amica viro. ”
EX ape verò aliam fecerunt numina nympham,
Felix, cui socio nupsit ista toro.
Huic virtutis opus cura est, sine labe scelestæ
Effugit infamis nominis inuidiam.
Hac curante domum, cunctis accessio rebus
Speranda, interitus nec metuendus erit.
Cari succedens curis hac prompta mariti,
Subleuat hunc studijs officiosa suis.
Et facilem vitam facit hunc tolerare per annos
Plures, cum multos anxia cura necet.
Cumq; viro, redamat quem, læta senescit amanti,
Dum facta est mater, factus & ille pater.
Dum multam sobolem, sinceri viscera amoris
Cernunt, & casti pignora viua tori.
Excellit cunctis hæc femina, gratia diuina
Hanc ornat, summis condecoratq; bonis.
Casta verecundum magni facit ista pudorem
In verbis, fugiens turpia facta simul.
Aversatur enim consortia praua, iocando
Scurriles cupide quæ coluere nurus.
Et teneram subito faciem suffusa rubore est,
Cum Cypria audiuit facta tacenda Deæ.

C Optimus



Optimus hanc summè præstanti pectore fecit,
Atq; bonis solis Iuppiter ipse dedit.
Hancq; pijs Sponsi quæso DEVS annue votis, 22
Hanc Sponsa ut referens sit, rogo, dulcis apis. 22
Hac cum distendat iucundo nectare cellas
Sponsus, cui fetus compleat ista domum.
Et canos dextrâ cum Sponso computet annos,
Maxima pars horum sitq; in amore DEVS.

ALIVD.

Lumine nocturnos vaga Cynthia vincit ut ignes,
Hanc ipsam ut radijs vincit Apollo suis:
Sic vera laudis superat rude vulgus honore,
Qui sua Castalijs ora rigavit aquis;
Argentoq; aurum velut est præstantius, auro
Virtus, virtutis nil ut honore prius.
Sic virgo hæc præstat forma fucoq; superbis,
Cui mens in pulcro corpore casta latet.
Nam non tam peplum, nitidi vel flamma pyropi,
Muricis aut Lydij tincta cruore stola:
Quàm teneram exornat virtus generosa puellam,
Quæ valet hæc, pulcra nomen & omen habet.
Quare cum talem Sponsam sis nactus, amice
ANDREA, Chelij lausq; decusq; chori;
Gaudia

Gaudia mente fove, rutilum quot sidera cœlum
Pascit, tot læta gaudia mente fove.
Ecce maritali tecum sua colla capistro
Subdit pulcra omni labe puella carens.
Ecce puella patris doctiq; boniq; propago,
Ecce puella proba de genetrice sata.
Te quoq; digna tori tanta consorte iugalis,
Edere læticia pignora, MARTHA, decet.
Ecce tibi Sponsus pietate fideq; celebris,
Ecce bonis cultus moribus, arte grauis:
Munia qui in ludo patrio haud sine laude docentis
Grande magisterij nomen adeptus obit.
O par conueniens, flori flos ipse iuuenta
Iungitur, & iuuenes mens iuuenilis amat.
Sic vites vlmis, sic blanda columba columbo
Conuenit, & parili bos ad aratra boui.
O vos felices, o terq; quaterq; beatos,
O vestri verè fœdera fausta tori.
Nam non fors fallax, cœcine Cupidinis astus,
Non es, non niueo suavis in ore rubor,
Ipse sed arcipotens vobis DEVS auctor amoris,
Disita corda locis iunxit amore DEVS.
Ergo precor vestra firmet quoq; fœdera tædæ,
Ne, bene quod cœptum est, hoc malè cedat opus.

Mens sana, & valida sint sano in corpore vires;
Ære crumena, domus pane meroq; crepet.
Hinc labor, hinc fugiatq; dolor, curaq; facessant,
Exulet hoc omnis rixa dolusq; toro.
Cornibus & decies cum Phœbe erit aucta, mari-
tum
Quæ fecit, faciat prole marita patrem.
Ac semel amborum qui pectora nexuit unus,
Perpetuo vigeat, crescat & urat amor.

Daniel Vuald Serueftanus,
τῆς εὐφημίας ἐνεκεν.

F I N I S.

Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





19.
20

EPITHALAMIA,
PRO FAVSTA AP=
PRECATIONE, NVNCVPATA OPTI=
MO ET DOCTISSIMO VIRO DN. M. AN=
DREÆ KENNIKEN, illustris Gymnasij Seruestani
hypodidascalo fidelissimo, celebranti nuptias cum ho=
nesta & pudica virgine MARTHA, Venerandi
pietate & doctrina viri, DN. STEPHANI
HEERVVIGS, Pastoris Stucensis
filia,

111. Calend. Xbris, Anno M. D. XLV C.



SERVESTÆ

Excudebat Bonaventura Faber.

ANNO M. D. LXXXV.

